

Vg
5981





QK. 190.

QK. 190.

DISSERTATIO HISTORICA,

De

GENEALOGIA LUTHERI,

Quam

Auxiliante divini Numinis Gratia,
impetratō consensu benevolō

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM
ORDINIS,
PRO RECEPTIONE

IN FACULTATEM,
IN ACADEMIA PATRIA,

Publico Eruditorum Examine submittet,

P R Æ S E S

M. JOHANNES THIEL,
Regiomont. Prussus,

RESPONDENTE

GEORGIO HARNACK, Hoh. Pr.
S.S. Theol. & Phil. Stud.

Horis locoque solitis

Anno M DC XCV. Die Februar.

REGIOMONTI, TYPIS RELISNERIANIS.



K. 190.



VENERANDO INCLYTÆ REIP: PALÆ-
OPOLITANÆ SCABINATUS COLLEGIO

VIRIS

NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS atq; SPECTATISSIMIS
DOMINIS,

DN. ANDREÆ EVERHARDI,

Præsidi meritis gravissimo,

Parenti maximo honoris cultu æternum prosequendo,

Ut &

Reliquis laudatissimi Collegii membris.

DN. CHRISTIANO Hennig.

DN. CHRISTOPHORO Dulk.

DN. HEINRICO Sahn.

DN. JOHANNI Bornman.

DN. JOHANNI Wolsohn.

DN. JOHANNI Langerfeldt.

DN. CHRISTOPHORO Horch.

DN. FRIDERICO Meyer.

DN. STEPHANO Schere.

DN. JOHANNI Höpner.

Nec non

DN. DAVIDI Dargak.

Memorati Scabinatus Secretario fidelissimo.

Patronis & Fautoribus meis honoratissimis.

OLIM.



* * * * *

OLIM.

CURIA. A. CRUORE. DICTA.
INTERDICEBATUR. CLERICIS. (a)

NON. TAMEN.

CURIA. A. CURIS. DICTA. INTERDICETUR.
LUTHERO.

QVONIAM.

CURIA. QVOD. RIDEAT. CRUENTAM.
DERIVATIONEM.

CURIS. STUDIISQVE. DEBET.
LUTHERI.

SCILICET.

UT. SAPIENS. CONTRA. OMNIUM. OPINIONEM. (b)
VADIT.

SIC. LUTHERUS.

VENERANDAM. CURIAE. CURAM. VENERANDAM.
DOCUIT.

CUM. CATHOLICA. ROMANENSIVM. INCURIA.
DESPICIENDAM. DOCERET. CURIAM.

QVARE.

CURIAE. PALEOPOLITANAE. MEMBRA.
SPECTABILIA.

NE. DESPICITE. TABULAM. GENEALOGICAM.
D. MARTINI. LUTHERI.

SED.

(a) *Nemo Clericus vel Presbyter introeat Curiam, quoniam Curia dicitur à cruore. Hæc notissima Pontificum decisio est.*

(b) *Ut sidera contrarium Mundo iter intendunt, ita sapiens adversus opinionem omnium vadit. Seneca l. 2. ad Seren. cap. 14.*

SED.
VESTRÆ. ILLAM. ADDITE. IMAGINI.
JUSTITIÆ.
QVONIAM. VERA. LUTHERO. MULTUM. DEBET.
JUSTITIA.
EQVIDEM.
NON. MESRÆ. LOQUENTES. CONTINET. (c)
IMAGINES.
HÆC. DISSERTATIO.
INTERIM.
NEQVE. MUTAS. COMMENDANT. VOBIS. PERSONAS.
HÆ. PAGINÆ.
CERTE.
VOCALES. OMNES. VIRTUTIBUS. FUERUNT.
LUTHERI. POSTERI.
HINC,
UT. POST. FATA. ETIAM. IN. HAC.
CHARTA. VOBIS. SINT. VOCALES.
ACCLAMO.
VIVITE!

P R Æ S E S
M. JOHANNES THIEL.

(c) Mesram Regem suum inter cœtera etiam Imagines loquentes
introducere potuisse, fabulati sunt Ægyptii. Confer. Kircherus
*Oedip. Ægypt. p. 1. Syntagm. 1. cap. 9. De Alberti M. statuâ
loquente edisserit Lansius Consult. pro Germ.*

Errata Graviora.

Quæ limam nostram fefellerunt, B. L. sic corriget: §. V. fac. b. lin.
10. pro *quam* leget *quem*. §. VIII. lin. 22. pro *ditione* leget *ditione*.
§. eod. fac. b. lin. 23. pro *Ostennium* leget *Sexennium*. §. XI. fac. b.
lin. 1. 2. post verba: *in Consiliarium Würzensen*, addet: *Decanum Ca-
pituli Zeitzenfis, & Canonicum Misnensem.*

☞ [0] ☞

TABULA GENE
D. MARTINI

Johannes Wilhelmus
Lutherus. §. XI.

Martinus Fridericus
Lutherus. §. XI.

TABULA GENEALOGICA D. MARTINI LUTHERI.

Johannes Wilhelmus
Lutherus. §. XI.

Martinus Fridericus
Lutherus. §. XI.

Johannes Fridericus
Lutherus. §. XI.

Regina Sophia,
§. XI.

Johannes Martinus Lutherus. §. XI.
Conjuges habuit duas.

Unam
Reginam Lei-
seriam.

alteram
Margaretham So-
phiam Hülfe-
manniam.

Johann Ernestus
Lutherus.
§. XI.

Martinus Lu-
therus.
§. XI.

Johannes Paulus
Lutherus.
§. XI.

Anna Ca-
tharina.
§. XI.

Magda-
lena.
§. XI.

Susanna
Christina.
§. XI.

Elisabetha
Doro-
thea. §. XI.

Paulus Lutherus.
§. XI.

Johannes Ernestus.
§. XI.

Margaretha.
§. XI.

Anna, quæ nupsit Nicolao à Mars Hala-
len è Domo Biberstem. §. XI.

Catharina Lutherin.

Dorothea von Runheim/
nupsit Friderico L.B. de
Kitlitz. §. XII.

Johannes Lutherus.
cujus Uxor
Elisabetha Crucigera.
§. IX.

Martinus Lu-
ther. §. X.

Paulus Lutherus.
cujus Uxor
Anna à Warbeck
è Domo Thucien.
§. XI.

Elisabetha.
§. XII.

Magdale-
na. §. XII.

Margaretha, quæ nupsit
Domino Georgio von
Runheim. §. XII.

D. MARTINUS LUTHERUS.
ejus Conjux
CATHARINA à BOREN.
§. VII. VIII.

Johannis Luder.
Uxor ejus
Catharina Lindemannia.
§. III.

Heinrich Luder. §. II.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

06 [0] 90





Enealogia, nobilis illa Historiæ species, quæ non tantum jucunda, sed & valde necessaria est, judice *Tobiâ Wagnerô*, *Limin. Genealog. Dissert. Procem. p. 2.* Illa, inquam, Genealogia non modo ex eminentibus Regum Magnatumque Turribus, sed & minorum gentium tabernis, Apollinis præprimis Laureâ condecoratorum, suos mutuatur colores, suas ideas. Sic enim scripsit *Gerhardus Johann. Vossius lib. de Philolog. c. 13.* *Τὸ γενεαλογικὸν explicat familias eorum, qui in imperio fuere, imò quandòque etiam eorum, qui præclarè de studiis merentur.* Quem autem eruditum, & eruditi orbis civem latet, quantò studiò non modò literarum restaurandum docuerit commercium *D. MARTINUS LUTHERUS*, sed etiam quæ è propriâ eruditione, ac Prudentiâ acquisiverit Elogia? Non jam ad domesticos me conferam testes, sed confessione Adversariorum rem confirmatam exponam. *Erasmus Roterodamensis*, Lutheri nostri adversarius, non modò sæpius oretenus ingeminavit: *Major est Lutherus, quàm ut in illum ego scribam, major est, quàm ut à me intelligatur; pland Lutherus tantus est, ut plus erudiar, & proficiam ex lectione unius pagellæ Lutheri, quàm ex totò Thomâ.* Conf. *Philipp. Melanchthon in Prefat. Tom. III. Latin. Witteb. Luther.* Verùm etiam hæc *lib. 17. Epist. 26.* Scriptis suis inseruit: *Uit insanum sit omnia probare, quæ scripsit Martinus Lutherus, ita non placet Auctoris odio damnare quæ vera sunt, ea depravare, quæ recta sunt. Ego ex omnibus illius lucubrationibus vix 12. legi pagellas, & tamen vix quenquam reperi adhuc, qui se dicat pœnitere, legisse libros illius, etiamsi multa displiceant.* *H. J. Wolffgangus Severus*, qui quondam inter Pontificios eruditione suâ eminuit

— *Velut inter ignes*

Luna minores,

Utpote qui *Maximiliano II. Imperat.* ab Informationibus fuit; ille *Luthero*, nescio, è quò piò numinis afflatu agitatus, sequentes adjudicavit *Melodias*:



*Japheti de gente prior, Majorque Luthero
Nemo fuit, sed nec credo futurus erit.*

Conf. *Dedekenni Consil. Volum. 1. part. 1. tit. 1. Sect. 3. n. 4.* Ad eundem collimant scopum, quæ de eodem Heroë, ex alterâ parte Lutheri Adversarius, Theodorus scilicet Beza scribere veritate coactus fuit; sic enim loquitur: *Fortissimus ille heros, eximius Dei servus, & doctissimus (Lutherus) Christianæ Religionis instaurator, Vir admirandus in diebus nostris, & hujusmodi Vir, ut, qui non sentiat in eô Dei Spiritum fuisse, is nihil sentiat.* H. B. *Tom. I. Oper. lib. de heret. puniend. pag. 94.* Hæc cum ita sint, & cum tantam sibi eruditione, ac studiis suis famam acquisiverit B. Lutherus, ejus quoque Proavos, Posterisque, accuratiori, quantum fieri potuit, delineare penicillò quis à Genealogicâ arte alienum putabit? Exposui itaque præsentem Genealogicam Tabulam, cujus Historia, ut clarior innotescat, sequentibus eandem illustrabo lineis.

§. II. Scilicet in genere primum nonnulla de familiâ *Lutherorum* præmonenda erunt. Illam jam olim aliqui à *Lothario* Imperatore derivandam putarunt, conferatur *M. Michaël Celius in Concione Funebr. Lutheri. d. 20. Febr. An. 1546. Islebia habita*, quam tamen sententiam in medio relinquimus, certiora ex infallibili veritate historicâ referentes. Nimirum *Luderorum* nomen in Germaniâ, & imprimis Hassiæ ac Thuringiæ confinibus, multis abhinc celebratum fuisse seculis, nemo facilè inficias ibit. Provocamus hic ad relationes *Theophrasti Paracelsi, & Crusii annales Svecicos part. 2. p. 473.* in quibus perhibetur, in æde sacrâ Monasterii Inkingensis, quod in Carinthiâ situm est, à Friederico Barbarossâ Imperatore, fundatore illius ædis, multas præclaras statuas virorum memoriâ dignissimorum, lapidibus incisas, constitutas fuisse, atque inter illas statuam Monachi alicujus, in capite sequentes exhibentis literas

L. V. T. H. E. R. V. S.

Unde jam illo tempore hujus nominis virum aliquem honoratum inter Clericos vixisse, concluditur. Confer. *Gottfried Schulzen neu augirt, und continuirte Chronika Tom. I. p. 90.* Accedit clarius de Lutheris *M. Balthasaris Menciai testimonium*, qui in libro de *Sax. Elect. Histor.* etiam B. Lutheri vitam recitans, è nonnullis Diplomatum refert, familiam *Luderorum* Sigismundi Imperatoris temporibus An. 1413. certis insignibus, rosæ nimirum imagine dotatam fuisse. Hoc genere insignium etiam usum fuisse B. Lutherum, neminem latet, nisi quod rosæ, ex piâ inventione addendam voluerit cor cruce notatum, cum hac inscriptione

Der

Der Christen Hertz auf Rosen gehe
Wenns mitten unterm Creuze steht.

Primus tamen, quem certò Majoribus Lutheri annumerare potui, est *Heinrich* sive *Heinrich Luder* incola vici *Moera* propè *Isennacum* siti. Illum enim, ut avum *Beatissimi* nostri *Herois*, commendavit *Illustris*, & (quem titulum cum dolore quidem orbis literati, gaudio tamen proprio non ità pridem acquisivit) *Beatus Dominus Vitus Ludovicus de Seckendorff*. *Saxon. & Brand. Electorum olim Consiliarius intimus, in Historiâ Lutheranismi l. 1. Sect. 8. §. 8. è MSSa. Historia Ecclesiæ Isennacensis M. Nicolai Rebhan.* Ipse *Seckendorffius* eo in loco de vico *Moera*, & familia Lutheri hæc habet: *Pagus, ex quò familiam duxit (Lutherus) à Johanne Matthesiò, famulo Lutheri, vitæque ejus scriptore, nominatur Mæra, situs est inter Isennacum & Saltzungam, medio ferè itinere ad radices sylvæ Thuringicæ, quæ occidentem, & Vierram amnem spectat, satis mihi olim notus, cum optimo Principi Ernesto Saxonie Duci à Consiliis essem, nam ad ejus ditionem pertinebat. Incolebant etiam tunc pagum istum quidam ex Lutheri gentilibus, qui rustica pronuntiatione Luder vocabantur. H. S.*

§. III. Ab hoc Henrico Ludero prognatus est *Johannes Luder*, qui conjugem sibi elegit *Margaretham*, *Lindemanni* civis *Neostadiensis*, in *Episcopatu Würtzburgensi*, filiam. Sunt equidem aliqui ex Historicis, qui *Margaretham* illam *Zieglericæ* gentis propaginem dixerunt, verùm *Illustris*, & modò citatus *Seckendorffius* solvit eorum dubium, & de verâ *Margarethæ* origine l. c. hæc commentatur. *Genus Matris (Martini Lutheri) ex Franconiâ fuisse, à Viris fide dignis accepi, qui itidem ex Lindemannorum familia maternum genus habent, & probant Patrem Margarethæ civem Neostadiensem, ad Salam Franconiæ amnem, in Episcopatu Würtzburgensi fuisse. H. S. A Philippo Melancthone, in descriptione Vitæ Lutheri, quæ reperitur Tom. II. Witteb. latin. Oper. Luther. & in Histor. Eccles. Boxbornii p. 1044. sequenti, par hoc conjugum, commendatur Elogiò: Vetus familia est, & latè propagata mediocrium hominum, cognomine Luther in ditione inclytorum Comitum Mansfeldensium. - Johannes Lutherus & Magistratus gessit Mansfeldie, & propter integritatem, omnibus bonis Viris carissimus fuit. In Margarethæ, conjugæ Johannis Lutheri, cum ceteræ erant virtutes honestæ matronæ convenientes, tam verò præcipuè lucebant pudicitia, timor Dei, & invocatio, intuebanturq; in eam ceteræ honestæ mulieres, ut in*



exemplar virtutum. H. M. His itaque piis ac honestis parentibus vitæ suæ post Deum debet primordia D. Martinus Lutherus, in cujus famam, piamque memoriam sequentes commendo lineas.

§. IV. Natus est D. MARTINUS LUTHERUS Anno 1483. d. 10. Nov. post horam undecimam, ineunte feriâ tertia, sive die Martis, testantibus id Chronologiæ restauratoribus *Calvisio* scilicet, *qui sub An. Mundi 5432. & Christi 1483. hæc notavit. Martinus Lutherus nascitur Islebia Patre Jobanne, & Matre Margarethâ, die 10. novemb. paulò ante mediam noctem, pridie Martini, ineunte feriâ tertiâ &c. itemque Abrahamo Buchholzerò, qui p. 712. Chronolog. ad An. 1483. sequentia scripsit. Martinus Lutherus, qui primus mutationem doctrinæ in Ecclesiâ, nostro Seculo, instituit, natus Patre Jobanne, & Margarethâ Matre, Islebia 10. Novemb. paulò ante mediam noctem, cum postridie dies Martini incideret in diem Martis.* Equidem Philippus Melancthon l. c. commemorat, sæpius interrogatam Matrem Margaretham de tempore Nativitatis filii, respondisse; diem, & horam se certò meminisse, (ac nominasse diem 10. Novembr. horam paulò post undecimam) sed de Anno se dubitare; addit tamen paulò post, Fratrem B. Martini Lutheri, *Jacobum Lutherum*, (quem honestum, & integrum virum nominat) hanc & suam, & totius familiæ opinionem insinuasse, Megalandrum nostrum Anno 1483. natum fuisse. Et hæc de tempore Nativitatis: De loco, quem Islebiam nominavi, sciendum, eundem factum fuisse natalitium Luthero non necessitate, sed casu id ferente. Quippe habitabant adhuc eò tempore, Anno scilicet, 1483. Johannes & Margaretha in vico Mœra, Mater verò gravida, cum nondum tam vicinam partui se esse existimaret, ad nundinas Islebienses profecta, ibique filium enixa est. Conf. *Magnus Seckendorff. l. c.* Nomen, quod cum nativitate naturali acceperat Megalander, *Luderorum* erat, hoc tamen deinceps, variatâ orthographiâ, per nomen Lutheri expressit, non ut diversam institueret ejus significationem, sed quoniam aspirationes gratiores fuerunt tum temporis in scriptionibus Germanorum nominum. Sic jam *Aventinus l. 1. Annal. Bojor. in nomenclaturâ, operi præfixa*, scripsit: *H. aspiratio crebrior Majoribus nostris, præcipuè Germanis.* Quoniam autem aspiratio ista mollibus non æque, ac duris convenit literis, hinc loco D, T, & pro Ludero, Lutherus expressus est. Conferantur ea, quæ *D. Schottelius in Opere de linguâ Germanicâ. Tract. II. lib. V. p. 1071. de nomine Lotharii* notavit.

§. V. Prout autem Nativitas Heroi nostro nomen *Luderi*, sive
Lu-

Lutheri contulit, ita renatus proxima post nativitatem die, MARTINI
præ nomen accepit, quoniam tunc in fastis, Martini memoria commenda-
ta erat. Mos enim erat antiquitus, nomina in baptismo liberis, in memo-
riam virorum, & foeminarum, in Ecclesiâ celebratissimorum, conferre;
unde Chrysostomus Homil. XXI in Genesin; postquam improbasset con-
suetudinem, quâ fortuito, & absque causa juxta nomen avi, vel abavi nomi-
nabantur pueri, subjungit sequentia: Igitur nos, neque quævis nomina
pueris indamus, neque avorum vel abavorum, & eorum qui genere
clari fuerunt, nomina tribuamus; sed sanctorum virorum, qui vir-
tutibus fulserunt, plurimamque erga Deum habuerunt fiduciam. In-
simul causam addit, scribens: Ut per nos in quoque in virtutes addu-
cerentur liberi. Tempore autem Seculi XV. antiquitatis ille mos jam in su-
perstitionem degeneraverat, nam nullus magis ad virtutes eorum, quorum
nomina liberis imponebant, fiebat respectus, verum ex die, in fastis obvia,
argumentum de appellando infante derivabant, quod etiam hic circa ap-
pellationem B. Lutheri factum est. Conferatur M. Johannes Gottlieb
Möller in gratâ Nominis Lutheri memoriâ n. 3. p. 7. Licet a. supersti-
tiosus in denominatione Martini Lutheri occurrat ritus, non tamen sine
omine illud nomen Megalandro tributum fuisse, multi satis piè concludere-
runt. Gott hat es wunderbar geschickt/ daß seine liebe Eltern in der
*H. Tauffe ihrem Sohn den tapfferen Nahmen Martini geben lassen/
 welcher Nahme von dem Heydnischen Abgott Marte, welchen ehemals
 die alten Lateiner und Deutschen/ eher/ denn sie zum Christli-*
chen Glauben befehret und gebracht/ vor ihren Krieges-Gott vene-
riret/ geehret / und angebehtet haben/ herrühret. Wie nun eben die
Lateiner den Martem, und daß er vor andern herrschafft/ streitbar/ und
glückselig/ den Kriegs-Gott genennet; Eben so haben die Deutschen
einen solchen Herman/ oder Heerman/ das ist/ einen Mann des
Heers/ einen rechten Held/ der sich im Felde vor seinem Feinde sehen
lassen/ und im Heer vor seinem Gott / wie Josua / Judas Macca-
beus herziehen darf/ genennet. Dieser Nahme reimet sich artig mit
Luthero. - Er hat sein Tauff-Gelöbniß biß in die Grube/ als ein rech-
ter Martinus und Heermann gehalten/ ins HERN Nahmen frisch her-
ein gewaget/ seine Sache/ so er ins HERN Nahmen angefangen/ auch
ins HERN Nahmen frey öffentlich im Felde/ wieder Freunde und
Feinde stattlich hinaus geführet. Ita concludit B. D. Heinichen Au-
la Saxonie. Elect. olim à Concion. Sacr. in der II. Jubel-Predigt p. 72.



Huc etiam pertinent verba, quæ Beza in lib. de Imag. Illustr. Virorum
 "imagini Lutheri addidit, quæ hujus sunt tenoris: Hoc vultu fuit Mar-
 "tinus ille Lutherus, Islebi in Mansfeldensium Comitum ditione na-
 "tus, ore toto divinitus afflatam animi magnitudinem, ipsamque adeò
 "pietatem, cum singulari Zelò conjunctam testans. Evangelicæ lu-
 "cis flammæ è densissimis tenebris sensim proferenda Præco, à Deo O.
 "M. humani generis miserto, excitatus, & quidem (dictu mirabile)
 "ex mediâ Sathanae sentinâ, Pseudo-Monachorum videlicet Augusti-
 "nianorum Cœnobio, ad repurgandum Dei templum evocatus, eo ipso
 "Anti-Christo occasionem ei præbente, quam, arreptò Dei flagellò, e-
 "rat ex occupatâ Christi Domo profligaturus; quem non Cæsares, non
 "Reges, non fulmina ex arce Tarpeja vibrata, non ullæ innumerabi-
 "lium Sophistarum phalanges vel tantillum terruerunt. Cujus de-
 "nique laboribus Ecclesia instaurata, quantum à multis seculis vix
 "cuiquam debet, plura tamen debitum, si tantum in omnibus illum
 "moderationis ac scientiæ retinere, quantum Zeli vehementioris
 "divinitus ipsi concessum erat, peccata hominum, & discipulorum
 "quorundam turbulentum ingenium permisissent. Cui nos carmen
 "hoc triumphale cecinimus:

Roma orbem domuit, Romam sibi Papa subegit,
 Viribus illa suis, fraudibus iste suis.
 Quantum isto major, Lutherus major & illa
 Istum, illamque uno qui domuit gladiò.
 Inunc, Alciden memorato Gracia mendax,
 Lutheri ad calamum ferrea clava nihil.

Plura hac de insigni prudentiâ ac pietate, & ex his virtutibus derivatis tri-
 umphis recitari possent, si volumina conscribenda essent; remittendus in-
 terim Benevolus Lector ad B. Matthesii Concion. de vitâ Lutheri. Evolgen-
 dus quoque Nicolaus Reusnerus in libro de Iconibus Virorum Illustr. in
 quo præcipua Lutheri facta carminicè decantata adducuntur. Ego h. l. ad
 ista pergam, quæ ad Genealogiam Beatissimi Viri illustrandam facere pos-
 sunt, prius tamen singulare Erasmi de eo Judicium, debitâ brevitate com-
 mendabo. Ità a. verba ejus exprimuntur l. 2. Epist. 1. p. 372. Hominis
 (Lutheri) vita magno omnium consensu probatur; jam id non leve ju-
 dicio, tantam esse morum integritatem, ut nec hostes reperiant, quod
 calumnientur.

§. VI. Ille autem Lutherus, cujus incunabula hæctenus vidimus,
 & quæ

& quæ in iis promisit, de eò observavimus fata, ille postquam A. 1503. in Academia Erfurdensi Magistri honores expetiisset, paulò post, cum casu quodam familiarissimus ejus miserabiliter confossus interiisset (laudatus Illustr. Seckendorffius eundem Alexium vocat l. c. add. III. nec facile illi contradixero, utpote cum Historicorum testentur annales, diem Alexii à Lutherò singulariter observatum fuisse) de vitâ Monasticâ ineundâ consilia suscepit, eademque, fulmine adhuc territus, ipso opere adimplevit. Sic in hanc sententiam scribit *Calvisius in Chronolog. p. 818. ad Ann. 1505. D. Martinus Lutherus, cum paulò ante esset renunciatus Erfordie Magister bonarum artium, territus fulmine, ingressus est Monasterium die Alexii.* Incidit a. dies Alexii in XVII. Julii, docente *Baroniò in Martyrol. Rom. p. 435. edit. 1631.* In illò autem statu Monastico maximâ curâ veritatem divinam in scripturis evolvere, & cum sententiis Ecclesiæ Romanæ conferre, intendit, sicque de die in diem novò collegit argumentò, aliud esse debere fundamentum salutis, quàm quod in Canonibus Pontificum adstruitur. Præviderat hoc jam, doctrinâ suâ ac eruditione per totum orbem illo tempore celebratissimus Martinus Pollichius de Mellerstad, trium facultatum Doctor, & primus Academiae Wittebergensis Rector; quare, cum Lutherus Monachus, ad Doctoris honores suscipiendos, vel invitatus invitatus esset, & illi eidem An. 1512. conferri deberent, altiori Spiritu agitato Pollichius, hæc protulit: *Hic Monachus (Lutherus) omnes Doctores perturbabit, Ecclesiam Romanam reformabit, quia tractat libros Propheticos & Apostolicos, utitur verbis Christi, quibus nemo potest resistere.* Conf. *Catalog. Test. Verit. l. XIX. p. 899.* Et certè, quod prædixerat Pollichius, Deo feliciter annuente, Lutherus An. 1517. adimplere cœpit. Inprimis verò cum in suo Reformationis studio, & in doctrinâ de coelibatu atque Monachatu, cœtum Romanensem multum à veritate abscessisse,prehendisset, publicis omnes ab hoc errorum genere revocare attentavit scriptis. Huc pertinent ejus admonitiones wider den fals hgenanten geistlichen Stand des Pabsts / und der Bischöffen / (editus liber ille An. 1522.) item an die Herrn Deutschen Ordens / daß sie falsche Keuschheit meiden / und zur rechten ehelichen Keuschheit greiffen sollen (An. 1523.) quæ habentur *Tom. II. Jenens. Germ. fol. 119. & fol. 212.* Et certè istæ admonitiones non sine effectu corda petierunt fidelium; Illuxit hoc inprimis in exemplo Illustrissimi Principis Alberti Brandenburgici, qui tum temporis Prussiam sub Titulo Magistri Ordinis Teutonici administrabat, ille enim admonitionibus B. Lutheri edoctus de
veri-

veritate divinâ, & bellorum strepitus, & ordinis sui deposuit coelibatum, vocans castissimos in amplexus Serenissimam Principem Dorotheam, piissimi Daniæ Regis Friederici filiam. Evolvatur *B. Hartknochii Preussische Kirchen-Historie l. 2. c. 1. §. 2. & 8.*

§. VII. Administrabat eodem tempore Electoratum ac Episcopatum Moguntinensem alter Albertus Brandenburgicus, Johannis Electoris, ex Uxore Margaretha Saxonica, filius: Confer. *Sagittarius in Histor. Marchion. Brandenb. §. 54. p. 54.* Illi Lutherus è pia animi intentione multoties Auctor exstiterat, ut, derelictò coelibatu, conjugii iniret vincula. Evolvatur *Tom. III. Jenens. germ. fol. 138.* Verùm cum aliæ, tum etiam ista Electorem dubium reddebat causa, quod Lutherus, qui aliis præcepta dabat de conjugio ineundo, ipse coelebs maneret. Illæ Principis hujus cogitationes inprimis animum B. Viri ad deliberationes de conjugio & conjuge eligendis deducere inceperunt, quare An. 1525. ad D. Johannem Ruhelium, Archi-Episcopi prælaudati familiarem, sequentes exaravit literas: *Ob Seine Churfürstl. Durchl. abermahl würde sagen / wie ich zuvor auch gehöret habe / warumb auch ich nicht ein Weib nehme / der ich jederman darzu reiße; Sollet ihr antworten / daß ich immer noch gefürchtet / ich sey nicht tüchtig gnug darzu. Doch / wo meine Ehe Sr. Churfürstl. Durchl. eine Stärckung seyn möchte / wil ich gar bald bereit seyn / Sr. Churfürstl. Durchl. vorher zu traben zum Exempel / nachdem ich doch sonst im Sinn bin / ehe ich aus diesem Leben scheide / mich in dem Ehestand finden zu lassen.* *H. L. Tom. III. Jenens. Germ. fol. 140.* His cogitationibus conceptis, quas inprimis Parentum iterata præcepta confirmabant, ecce, insperatò, à Deo jam Luthero destinata, ultrò sese offerebat in Conjugem Catharina / è nobili genere Derer von Boren prognata. Hæc Virgo Monialis antea fuerat, per Leonardum Koppen autem, civem Torgaviensem, & alios, è Monasterio Nimecensi, cum octo aliis Virginibus liberata, Wittebergam devenerat. *Tom. II. Jenens. fol. 232.* Lutherus singularum istarum Virginum paternam curam gerens, non modò hinc inde liberales excitavit hospites, qui egenas istas ac miseras, omnes tamen è nobili genere ortas, in domus suas reciperent, sed etiam, quantum fieri potuit, singulis de maritis prospexit. Inprimis verò occupatus erat, ut prædictam Catharinam à Boren, quæ tunc in ædibus M. Philippi Nechenbachs / Secretarii primùm, dein Consulis Wittebergensis, versabatur, Doct. Glacio, Superintend. Orlamundico in conjugem commendaret. Res tamen, Deo dirigente, aliter cessit, nam
illam

illam, quæ alii destinata erat à Luthero, cœlum, jam firmiori fatò, ipsi Luthero destinaverat. Provoco ad Testimonium Scriptoris Reformatæ Confessionis, *Abrahami Sculteti*, ille enim in *Opere Historico ad An. 1525. p. 274.* sequentia scribit: *Dum Lutherus de Catharina à Boren, Virgine Vestali, Doctori Glacio, Pastori Orlamundico collocanda deliberat, venit Catharina ad Nicolaum Amsdorffium, conqueriturque, se de Consilio Lutheri D. Glacio, contra voluntatem suam, nuptiis locandam: scire se, Lutherum familiarissimè uti Amsdorffio, itaque rogare, ad quævis alia Consilia Lutherum vocet; vellet Lutherus, vellet Amsdorffius, se paratam cum alterutro honestum inire matrimonium, cum D. Glacio nullo modo. Hoc ubi Lutherus intellexit, audissetque ex D. Hieronymi Schurfii ore: Si Monachus iste uxorem duceret, risuros mundum universum & Diabolum &c. Ut agrè faceret mundo, & Diabolo, ut Parenti etiam hoc suadenti gratificaretur, Catharinam sibi uxorem ducendam censuit. H. S. Quamvis itaque extraordinario motu ad ducendam hanc Catharinam excitatus esset D. Martinus Lutherus, non tamen hoc Christianum opus citra, sed cum ordine, in Ecclesiis usitatò, perfecit; præcesserunt enim legitima sponsalia, de quibus *Philippus Melancthon l. 4. Epist. p. 33. edit. Lips.* sequentia ad Joachimum Camerarium detulit: *Quia futurum est, ut fama haud æqua de nuptiis Lutheri ad vos perveniat, visum mihi est, ad Te vera, & quæ sentio, scribere. Tertia decima mensis Junii inexpectato Boriam duxit Lutherus, nulli amicorum factum suum aperiens, sed vesperi ad Cœnam vocavit solos Pomeranum, Lucam Pictorem, Juris Consultum Apellum, & consueta sponsalia celebravit. H. M. Nuptiarum autem festivitas deinde die 27. Junii, applaudentibus amicis, ac totâ civitate Wittebergensi, celebrata est. Conferantur hinc *Consilia Witteberg. Theol. part. IV. p. 17. edit. 1664.* in quibus non modò verbis pluribus Sponsalia æque ac nuptiæ Lutheri describuntur, sed recitantur quoque nonnulla, ex archivis Wittebergensis Reip. excerpta, quæ h. l. omni exceptione majora esse possunt testimonia; nimirum in des Rahts gehabter Jahr-Rechnung de Anno 1525. Tit. Ausgabe für des Rahts Geschencke / inter alia (quorum Wittebergenses l. c. plurima adducunt) & hæc notata reperiuntur:**

VII. Gl. vor 6. Rannen Grancken Wein / das Quart zu XIII ß. Doctori Martino auf das Gelöbniß verehret / Mittwoch nach Trinitatis.

B

XVI. Gl.

XVI. Gl. vor ein Fass Wirbeck's Bier Doctori Martino auf seine Wirthschafft (Hochzeit) geschencet / Donnerstags nach Johannis Baptistæ.

Qui plura desiderat, quæ legitimas Lutheri nuptias affirmare possint, inveniet ea *Tom. III. Jenens. Germ. fol. 104. 144. 150. & 151. item in D. Danbauri Thaumasiandro Luthero, cap. Lutherus Maritus.*

§. 8. Prout autem in expetendo conjugio, Dei inprimis mandata secutus erat Lutherus, ita quoque ab eodem Numine gratas expertus est in eodem benedictiones. Primò enim illa, quam sibi præ aliis amicam esse voluit, verè facta est illi amica, & pietate ac virtutibus suis præ omnibus Cræsi divitiis acceptior. Ità enim ipse Megalander felicitatem suam expressit in Epistolâ ad Michaëlem Stifelium An. 1526. d. II. Aug. exaratâ, quæ reperitur *l. 2. Epist. Luther. p. 318.* in quâ inter alia hæc scripsit: *Salutat. te Ketha mea, & gratias agit, quod eam literis tuis tam suavibus dignatus es. Ipsa bella habet Dei dono, mibique morigera, & in omnibus obsequens est, & commoda, plus quàm ausus fuisssem sperare (Deo gratias) ità, ut Paupertatem meam nollem cum Cræsi divitiis commutare.* Deinde accessit fœcunda liberorum propago; trium quippe filiorum, *Jobannis, Martini, & Pauli*, ac totidem filiarum, *Magdalene, Elisabethæ, Margarethæ*, Parentes facti sunt conjuges hi duo suavissimi D. Martinus Lutherus, & Catharina à Boren, qui in jucundâ ac fœcundâ hac societate vixerunt per viginti annos. Anno autem 1546. mors, communis divortiorum Auctor, Maritum, Islebiam in locum nativitatis suæ, ab Illustr. Mansfeldiæ Comitibus avocatum, piè ac placidè obdormire jussit, *die Concordiæ* in fastis sacrò. Conferantur è centum aliis Historicis *Michael Sachs in der Kaysers Chronick Part. IV. pag. 299.* itemque *Sleidanus lib. XVI. Comment. de Statu Relig. & Reip. Carolo V. Cesare.* Corpus exanime è dictione Mansfeldensi, in Comitatu plurimorum S. R. Imp. Comitum, ac Generosorum hominum Wittebergam, jussu Electoris, ut terræ mandaretur, delatum est, ubi sequenti funus ejus, ac ipsam funerationem, Civibus Academiæ intimavit scriptò

RECTOR ACADEMIÆ WITTEBERGENSIS.

“ Non dubium est, Reverendum Virum, D. Martinum Lutherum, Patrem, ac Præceptorem nostrum charissimum divinitus excitatum esse, ad
“ repurgandum Evangelii Ministerium, & monstrandum Filium Dei, ut
“ Deus immensa misericordia, subinde missis bonis Doctoribus, Evangelii
“ lucem Ecclesiæ restituit, depulsis tenebris. Hoc beneficium Dei agnos-

scen-

scendum est, & cum Deo habenda est gratia, tum verò amandi illi ipsi,
legati coelestes. Sicut Ethei ad Abrahamum dicunt, Princeps Dei es in-
ter nos; ità verè inter nos Princeps Dei fuit D. Martinus Lutherus.
Doleamus igitur, eum ex hac nostrâ consuetudine evocatum esse, & ore-
mus Filium Dei Dominum nostrum Jesum Christum, ut Ecclesiam,
hanc clementer servet. Cum autem funus ei hodiè faciendum sit, man-
damus, ut in foro omnes Scholastici conveniant, ac ibi Reverendum D.
Pastorem Ecclesiæ nostræ expectent, eumque deinde sequantur, excipi-
entem exuvias, quæ fuerunt, & rursus erunt S. Spiritûs tabernaculum. In
ipso autem funere cogitent de beneficiis donatis Ecclesiæ per hunc Do-
ctorem, & pro eis Deo gratias agant. Certum est, doctrinam de pœ-
nitentia, de verâ Dei invocatione, & veris cultibus ab eò piè illustratam
esse, cum antea tetrâ sordibus, & falsis ac Ethnicis opinionibus obru-
ta fuerit. Hæc doctrina etsi à magna multitudine contemnitur, tamen
verissimè illud Margaritum est, quod omnibus opibus anteferri Filius Dei
jussit. Petant etiam ardentibus votis, ne Deus sinat extingui Evangelii
lucem, & mores nostros, majore curâ rogamus, ne Deus irritatus iram
suam adversus nos exferat. Stilico Dux, de Ambrosio sæpe dixit; Ita-
liam esse, extincto Ambrosiô, perituram. Nec vanum fuit hoc vatici-
nium. Nam, mortuô Ambrosiô, statim Gothi, & Vandali Italiam un-
dique vastarunt. Ità cogitemus, morte hujus nostri Doctoris aliquas
pœnas denunciari, quas Deus mitiget: Data die XXI. Febr. An. 1546.
Martinum hunc sibi charissimum per octennium deplorans orbata Catha-
rina à Boren, tandem ipsa An. 1552. luem pestiferam, quæ Wittebergen-
ses premebat, fugiens, Torgamque se conferens, in medias mortis incidit
manus, ac Torgæ honorificè sepulta, sequenti Posteritati Commendatur
Inscriptione:

*Im Jahr 1552. den 20. Decembris ist in GOTT seelig entschlaf-
fen alhier zu Torgau/ Herr D. Martini Luthers seeligen
hinterlassene Wittwe/ Catharina von Boren.*

§. IX. Ordo à Majoribus, ac ipsâ B. Lutheri personâ calamum
meum ad Posterios avocat, qui, prout in Tabulâ suis nominibus ac Succes-
sionibus depicti sunt, ità in his paginis delineationem expectant histori-
cam. Primogenitus Lutheri filius JOHANNIS nomen in Baptismo ac-
cepit. E consilio Patris vitamque studiaque, quæ in plurimis, & etiam
in hæc, Academiis, summâ cum laude continuaverat, Reipublicæ pronus
dicaverat, unde primùm Consiliis Ducum Saxonie, deinde Divi Alberti

Senioris Prussiae nostrae Ducis gloriosissimi, nec non Electorum Brandenburgensium, admovebatur. Uxorem duxit ELISABETHAM, filiam Casparis Crucigeri Doctoris Wittebergensium Clarissimi; liberos habuit aliquos, e quibus tamen unica filia CATHARINA nomen suum posteritati reliquit cognitum. Obiit hic JOHANNES LUTHERUS in Prussia, Regiomonti, atque in Templo Palaeopolitano sepultus est, docente Hennenberger in der Erklärung der Preuß. Land-Tafel. p. 322. Exequias ejus sequenti indixit Programmate

RECTOR ACADEMIÆ REGIOMONTANÆ.

“ D. Martini Lutheri Filius, Johannes Lutherus, heri in oppido veteris
“ civitatis ex hac miserâ vitâ in coelestem evocatus est. Fuit autem Vir
“ pietate, Sapientia, doctrina, honestate & virtute excellens. Vixit in aula
“ Ducum Saxoniae, & Electoris Brandenburgensis, consiliaque Reip. adju-
“ vit. Natura ipsius fuit recta, amans veritatis, & Sophisticam rixasque odit
“ ac detestatus est. Avaritia pecuniarum, & dolosas rationes augendi rem
“ familiarem aspernatus est, ac semper liberalitatem quandam, ferè majo-
“ rem suis facultatibus, praestitit. Humanitatem erga omnes singularem
“ exhibuit: Polypragmosynen summo studio cavet, suaeque tantum voca-
“ tionis officia, quantum potuit, exequutus est. In communibus hujus
“ vitae miseriis tolerandis, placidus & patiens fuit. Ante annos aliquot
“ etiam in hac Illustrissimi Principis Alberti, Ducis Borussiae (beatae recor-
“ dationis) aula vixit, & in hac ipsâ Academiâ nostrâ voluit esse civis, ac
“ Rectore D. Melchiore Isindero, Anno Domini M. D. XLIX. in matri-
“ culam receptus, atque inscriptus est, & lectiones publicas Studiosè audi-
“ vit. Jam verò hospes advenit quorundam negotiorum causa, ac ali-
“ quando decumbens, magna pietate, ac mansuetudine animi, saevitiam
“ morbi pertulit, ac tandem cum intelligeret, tempus discessus sui instare,
“ Deum verâ fide invocavit, ac saepe hanc vocem ingeminavit: Cupio dis-
“ solvi, & esse cum Christo. Eoque pacto se & suos commendans placi-
“ dè in Domino obdormivit. Consideremus autem incertitudinem vitae
“ humanae, & quod verè non sit via hominis, aut viri ambulantis dirigere
“ gressus suos; ubicunque enim locorum versamur, obnoxii sumus telis
“ mortis, ac rectè dictum est: Nascentes morimur, finisque ab origine pen-
“ det. Agamus autem Filio Dei, Domino nostro Jesu Christo gratias,
“ quod causam aeternae mortis sustulit, ac paremus nos in totâ vitâ nostra,
“ quasi singulis momentis moriendum sit. Moriamur autem tanquam in
“ aeternum victuri, & oremus vitae perpetuae Ducem, ac Redemptorem
no-

nostrum, ut nos benignè per verbum suum convertat, & placidum ex
hac ærumnosa vitâ exitum benignè largiatur. Cum autem civi nostræ
literariæ Reip. & filio summi Herois Lutheri, officia humanitatis debeamus,
rogo & hortor omnes Professores, ac studiosos hujus Academiae, ut
ad funus deducendû, quod fiet circa horam tertiam ad ædes Henrici Sten-
drich, Syndici in veteri civitate, frequentes conveniant, & vota faciunt, ut
Dominus Deus hujus Clariss. Viri liberos consoletur, & sibi clemèter com-
mendatos habeat, ac reliquas miseras generis humani pro suâ immensâ
misericordiâ mitiget. Benè Valet. P. P. in Academ. Regiomont. die
Simonis & Judæ Anno Domini 1578.

§. X. Sequitur secundus B. Lutheri filius MARTINUS, qui prout
Patri, Theologo incomparabili, cognominis in baptismo factus erat, ita
quoque ad sacra studia à puerili introducebatur ætate. Retraxit tamen
eundem à studio incepto imbecillitas virium, quare privatam ac domesti-
cam eligens vitam, duxit in amplexus Virginem Nobilem Annam, Con-
sulis Wittebergensis Heilingeri filiam, cum quâ quinque per annos, sed
sine prole, vixit. Ossa ejus in Cœmiterio Templi Parochialis Witteber-
gæ requiescunt cum sequenti Inscriptione:

MARTINUS LUTHERUS, MARTINI FILIUS.

*Hoc Martinus humo dormit post fata Lutherus,
Cui Pater Helius tertius ille fuit.*

Nomen idem cum Patre, eadem eum Patre manebat

Nixa fides, meritis, maxime Christe, tuis.

Isque Heilingero Natam de Consule ducens

Annam, Legitimo junxit amore sibi.

Hinc celebrem laudem laudata à Virgine duxit,

Mens erat his eadem, par amor, una fides.

Nil stabile est terris, vix quinque peregerat annos,

Mors rupit grati vincula conjugii.

Sed nunc arce Poli vivit, terrasque morante

Pro socero, & chara conjuge vota facit.

Letaturque die quo reddita corpora vite

Convenient Christi Judicis ante Thronum.

Eternumque Dei vulu & sermone fruuntur

Splendida luce novâ Justitiæque Dei.

Obiit Anno Christi 1565. die 3. Maji

B 3

§. XI.

§. XI. PAULUS LUTHERUS tertius Magni Parentis non degener filius; Ille è dispositione Paternâ, Medicum sibi elegerat studium, inque eò tales acquisivit profectus, ut Anno 1557. d. 29. Jul. una cum Severino Gœbelio (testantibus id Actis Acad. Witteberg.) Regiomontanò Prussò, qui Professoris Publici munere in hac Academiâ functus, publicè Doctoris prærogativâ condecoratus sit. Promotus est ad Archiatri dignitatem à Serenissimo Elect. Saxon. Johanne Friederico, & cum hunc fata sinistra premerent, eidem præfuit officio in Aulâ Serenissimi Joachimi II. Elect. Brandenburgici. Revocatus tandem in Patriam, curam corporum duorum magnæ famæ Electorum Saxon. Augusti, & Christiani I. fideliter habuit. Duxit in matrimonium Generosam Virginem *Annam* Illustr. Viti *Bon Warbeck* è domo Thucien oriundi, Consilarii Aulici, & Vice-Cancellarii Saxon. filiam, quæ illum Patrem fecit quinque liberorum, (1.) *Pauli*, (2.) *Johannis Ernesti*, (3.) *Johannis Joachimi*, (4.) *Margaretha*, (5.) *Anne*. PAULUS, primogenitus Pauli Lutheri Filius, Juvenis Wittebergæ decessit, & in campo Sancto extra portam ibidem sepultus, hac commendatus est Inscriptione:

PAULUS LUTHERUS.

Reverendi Domini D. Martini Lutheri ex filio Paulo Medicina Doctore Nepos, moritur Anno Christi 1558. d. 23. Febr. ætatis suæ 5.

Parvus hic hac tegitur Lutheri filius urnâ,

Cum Patre qui Paulo nomen habebat idem.

Quique fidem confessus avi concessit ad astra

Pro Patre terreno nunc habet ille Deum.

Felices pueri fidei quos verba tenentes

Evocat ad Cœli docta theatra Deus.

JOHANNES JOACHIMUS, qui tertius in ordine fuit, juvenis An. 1599. obiit. MARGARETHA Pauli Lutheri filia improles decessit, Soror verò ANNA nupsit Generoso Domino, Nicolao Marschallen è Domo Biberstein, hæred. in Oberschafft. JOHANNES ERNESTUS secundo genitus Pauli filius, Propagator stemmatis, liberos reliquit (1.) *Martinum*, (2.) *Johannem Paulum*, (3.) *Johannem Martinum*, (4.) *Johannem Ernestum*, (5.) *Annam Catharinam*, (6.) *Magdalenam*, (7.) *Susannam Christinam*, (8.) *Elisabetham Dorotheam*, è quibus tertio genitus JOHANNES MARTINUS in posteris adhuc vivit. Introductus nimirum Anno 1642. in Acad. Wittebergensem, & Matriculæ Academiæ à Rectore Christophoro Nottmagelio Mathem. P. P. inscriptus, eos in studiis fecit

fecit progressus, ut singulari superiorum Clementiâ, in Consiliarium Witten-
 zensem promoveretur. Conjuges habuit duas, primam *Reginam*, D.
 Wilhelmi Lyseri, Decani Capituli Misnensis filiam, ex quâ prognati filii
 duo *Johannes Wilhelmus*, & *Martinus Fridericus*. Altera, quam sibi
 conjugalem expetiit lociam, fuit *Margaretha Sophia*, filia incomparabi-
 lis Theologi B. D. Hülsemanni Prof. Lipsiensis, & Præpositi Zeitzensis,
 quæ edidit *Johannem Fridericum* filium, & filiam *Reginam Sophi-
 am*. Conf. *Tabula Genealogica Lutheri, quæ exhibetur in Consiliis
 Witteberg. l. c.*

§. XII. Post tres illas Patris Pii non impias imagines, tres etiam
 maternarum virtutum hæredes enumerandæ erunt. Scilicet, **ELISABE-
 THA** atque **MAGDALENA**, B. D. Martini Lutheri filia, primis vitæ an-
 nis ultimum vitæ invenerunt terminum. Testantur hæc Epitaphia, quæ
 Wittebergæ in campo sancto extra portam reperiuntur, & hæc sunt:

ELISABETHA LUTHERI.

Hic dormit Elisabetha, filiola Martini Lutheri,

Anno 1528 d. 3. Augusti.

MAGDALENA LUTHERI.

Dormio cum sanctis hic Magdalena, Lutheri

Filia, & in strato tua quiesco meo.

Die 20. Septemb. Anno 1542. etat. suæ 14.

Tertia Filia **MARGARETHA** ivit in amplexus Illustris ac Generosi Do-
 mini Georgii à Runheim/ Equit. Prut. Consil. Provincialis in Prussia, Di-
 strictus Bartensteinensis Judicis Provincialis, Ærarii Præsidis, Hæredit.
 Domini in Knauten/ Verfelten/ Mülhausen/ Gossenen. Facta est plu-
 rimorum liberorum Mater, è quibus filia *Dorothea* nupsit Illustri Domino
 Friderico L. B. de Kitlitz, hæred. in Groß-Waldeck. Ipsa Mater Mar-
 garetha cum quinque liberis in Templo Mülhusino sepulta jacet. Evolvatur
Hennenberger l. c.

§. XIII. Est hæc brevis equidem, sed insimul vera Familiae Lutheri
 delineatio atque historia. Quilibet ex eâ sine Præmonstratore colliget,
 quantâ perfidiâ in scriptis suis Jesuitæ, & Pontificii alii, *Cochleus* scilicet,
Genebrandus, *Staphylus*, *Gretserus*, *Serarius*, *Naso*, & *Maimburg*,
 cum Nativitatem, tum conjugium Lutheri inhonestis conspurcarint men-
 daciis. Nam quod ad natales Beatissimi Viri attinet, non erubuerunt im-
 pietatis nugatores easdem ex horrendo Daemonis concubitu derivare.
 Nimirum *Jobann. Wierus l. 1. de Præstig. Daemon. c. 23.* refert, paulò post
 Cen-

Concilii (five conciliabuli) Tridentini tempora, magni nominis Episcopum hanc pro suggestu recitasse fabulam : *Diabolus in formâ Mercatoris, & artificis Gemmarum, Wittebergam venit, ubi apud civem hospitio excipi cupit, quod merces suas pretiosas communibus hospitibus credere minus auderet, pro beneficiô interim justam pollicitus remunerationem. Caterum ubi hospitis filiam in amplexus, muneribus blanditiis, aliisque voluptatis incitamentis pellexisset, ejus tandem concubitus fretus, brevi evanuit, nec postea apparuit unquam. Puellæ indies magis ac magis uterus intumuit, quæ enixura tam horrenda raraque edebat indicia, ut fœtum non legitime conceptum esse, argumentis minimè obscuris, præsumeretur.* Hæc & plura, lectu horrenda *Wierus l. c.* ex ore illius Episcopi excerptis. Sed cui non subolet mendacii fœtor? Ubi unquam Lutheri per Matrem Avus Wittebergæ habitavit? Quomodo Diabolo, spirituali substantiæ, conveniet generatio? Sufficit hic, ad refutandam fabulam, lectorem remisisse ad Physicorum scripta, itemque ad Autoritates Patrum, *Augustini in l. 15. de Civit. Dei c. 15. Damasceni l. 2. de fide orthodoxâ c. 7.* qui doctâ cum veritate demonstrarunt, simpliciter falsum esse, ex Diabolo, & homine aliquid humanum generari posse. Conferatur quoque *Carpzovius*, magnum Jctorum lumen, in *Prax. criminal. part. 1. quest. 49. n. 39. & quest. 50. n. 66.* Habuit illud nequitiae commentum primum Patrem *Cochleum*, hominem B. Luthero inimicissimum, de quô Illustris *Seckendorffius l. c.* judicavit, quod etsi habuerit eruditionem & Lectionem, cum erroris tamen tuendi pertinaciâ, & linguæ proterviâ omnia corrupisse. Addidit præterea, fuisse judicii obtusi, & ut rectè Lutherus de eô censuit, stupidi; scribæis interim ingenii, quoniam chartis, mox perituris, mundum obruere volebat. Illius chordâ dein alii, quamvis inæquali cum melodiâ, oberrarunt, scilicet, *Fontain in Historiâ Catholicâ, de Statu Religionis nostri temporis, & Jesuita Delrio l. 2. disquis. Magicarum quest. 15. Tom. I. p. 336.* Verum agnovit fabulam è Jesuitis *Maimburgius*, quare in *Historiâ Lutheranismi l. 1. Sect. VIII. hæc habet: Natus erat Islebiæ (Martinus Lutherus) non quidem ex incubo, ut quidam, ad augendum ei odium, sine specie veri scripserunt, sed ut homines alii nasci solent, neque de hoc unquam fuit dubitatum, neque postquam hæresiarcha factus est. At ut talis fieret, opus non erat in locum Johannis Luderi Patris, Diabolum substituere, & Margarethe Lindemannæ Matris honorem infamiâ talis genitura contaminare. M. M.* Pertinet quoque huc commentum *Remundi*, qui diem

22. Octo.

22. Octobr. natalem Lutheri fuisse somniavit, ut fidem conciliaret malitiosæ calumniæ *Junctini*, qui ex horoscopo illius diei ingenium Lutheri miris modis diffamavit, censuram tamen nactus est condignam in observationibus *Isaaci Malleoli Professoris Mathem. Argentorat. quæ prodierunt de geniturâ Lutheri An. 1617.*


§. XIV. A mendaciis circa nativitatem Lutheri occurrentibus ad nugas *Petri Rostii* Jesuitæ me confero; ille in *Pseudo-Jubileo*, quod Jubileo Lutherano opposuerat p. 145. de Lutheri regeneratione per baptismum factâ, hæc recitat: *Dubitatur an (Lutherus) ritè sit baptizatus, vel verius, annon ante Baptismum à Matre Diabolo consecratus fuerit, quod ex precedenti sequitur, atque ex Matris & complicum improbitate.* O effrontem frontem! unde quæso istos dubitationis fluctus derivavit Rostius, nisi è Pelagò mendaciorum? Certè vel unicum Martini nomen satis pro veritate Baptismi B. Lutheri pugnat, ut taceam reliqua, quæ hanc in sententiam recitavit D. Joh. Müllerus in *Luthero defenso* p. 16. Incidit mihi h. l. in memoriam, quæ *B. Lutherus Tom. VI. Jenens. Germ. fol. 525.* de capite Pontificiorum, *Clemente VII. Papa* observavit, quod sororis germanæ filius fuerit, & nunquam baptizatus. Novo autem fundamento Vitam Beatissimi Pontificii reddere attentarunt infamem, docentes, eundem Baptismi, & fœderis in illo initi immemorem doctrinam, aut potius, superstitiones Mahomedanorum suas fecisse, ac ad eorum castra si non interna, externâ certè communionem transisse, atque sic plus Mahomedanorum, quàm Christianorum Magistratibus favisse. Sed cum manifestâ Historiæ veritate hoc commentum pugnare, ex iis, quæ superius è *Bezæ, Erasmi, & aliorum* scriptis enarravi, abundè liquet. Consulendum hic etiam *B. D. Kesleri Lutherthumb / Part. I. c. 3. q. 8.* Quare sciant Pontificii ex nullis veritatis annalibus affectum Lutheri in Turcarum Religionem, aut Principes se inventuros, potius colligent, *Alexandrum III. ipsum Christianorum Imperatorem Fridericum, Turcarum Imperatori* prodidisse; conferatur è centum aliis *Heinrich Ulrich ab Hutten in den Reichs-Handlungen Goldasti p. 285. edit. 1619.* Imò & hoc ex Historiis edocere possumus Pontificios, *Alexandrum VII. Papam, & Mahomedem IV. Turcarum Imperatorem* ex eodem sanguine, scilicet *Marsiliorum nobilium Senensium*, duxisse originem. Confer, *Annales Johannis Francisci Negri ad annum 1525. & Johannes Ulricus Wablich in Relat. Turcicis.* Curioso lectori sequentem commendo hic Tabulam, quam è MSS. B. Viri

C

alicu-



alicujus de Academiâ, ac Scholis Patriæ nostræ olim meritissimi commu-
nicatam accepi, & hæc est.



§. XV. Non minus falsa & impia sunt, quæ circa conjugium B.
Lutheri, contra recitatam à nobis veritatem historicam, referuntur, quàm
quæ suprâ de generatione, ac regeneratione ejus movebantur. Quoniam
autem non unô impetu omnes Pontificiorum scriptores hac de re agunt,
singulorum classes examinabimus. *Primò* sunt aliqui Pontificiorum, qui
planè negant, unquam Lutherum legitimas celebrasse nuptias, sed tantum-
modo eundem Catharinam à Boren pro concubinâ aluisse. Nam non
modò id, antequam B. Lutherus consilium de ducendâ illa Catharina ini-
visset, ab inimicis ejus undiquè sparsum est, verùm etiam in hoc Seculo
ad-

adhucdum istâ relatione, acsi Lutherus nunquam legitimas contraxisset nuptias, Pontificii fucum facere attentarunt non versatis in Historiâ Lutheri Genealogicâ. Remitto itaque eos ad §. VII. Disputationis hujus, & ad *Consilia Witteberg. l. c.* quibus adhuc sequens Erasmi addo Testimonium: *Lutherus duxit uxorem puellam mirè venustam, ex clarâ familiâ Borne, sed, ut narrant, indotatam, que ante annos complures Vestalis esse desierat.* H. E. Lib. XVIII. Epist. XI. Ecce firmum è Pontificiò assensum, Lutherum legitimas inivisse nuptias? *Secundò* alii & in eò à veritate historicâ abscefferunt, quando confirmarunt, B. Lutherum cum suâ Catharinâ è Monasteriò profugisse, atque sic clandestinas celebrasse nuptias, ac contravotum egisse. Illis reponendum, & ex dispositione veritatis divinæ, & è Consensu Principis Clementissimi, diu antequam nuptias expeteret, Lutherum & habitum Monachalem, & statum deposuisse Monasticum. Conferatur omninò *Illustr. Seckendorffius l. c.* Et quid Pontificii profugum hic fingunt Lutherum propterea factum è Monasterio, ut tantum uxorem ducere posset? Annon enim B. Vir jam An. 1517. bellum Constitutionibus Pontificiis indicere coepit? Quomodo igitur affectus libidinosi auctores exitûs è Monasterio esse potuerunt, cum demum Anno 1525. & sic post septem integros annos conjugium iniverit? Conferantur ea, quæ superius è Sculteto adduxi.

§. XVI. *Tertiò* tandem & in eò à veritate historicâ contrapropriam conscientiam abscedunt aliqui, quando partum illegitimum Nuptias Lutheri, post paucos dies insecutum fuisse plenò mendaciis calamo annotarunt; adducitur etenim à laudato *Abrahamo Sculteto l. c. p. 278.* Epistola Erasmi ad familiarem Campeji data, in quâ inter cætera & hæc recitantur verba: *Lutherus, quod felix faustumque sit, depositò Philosophi palliò, duxit uxorem, ex clarâ Familiâ Borne, puellam elegantiforma, natam annos viginti sex, sed indotatam, & que pridem desierat esse Vestalis, atque ut scias auspiciatas fuisse nuptias, pauculis diebus post decantatum Hymenæum, nova nupta peperit.* Verùm hanc Epistolam non reperiri in Tomo Epistolarum Erasmi, certissimum est. Sit tamen Erasmi, num propterea statim verum erit, quia ab Erasmo scriptum? Poterant etenim illi imposuisse fabularum Auctores; & revera ita factum esse, ex *Epistola Erasmi ad Franciscum Sylvium Anno. 1526. d. idu. Mart. data, que habetur lib. XVIII. Epist. 32.* res evadit manifestissima. Sic enim scribit Erasmus: *De Conjugio Lutheri certum est,*



19. 59 81 67

de partu maturo Sponse Vanus erat rumor, nunc tamen gravida esse dicitur. Si vera est vulgi fabula, Anti-Christum nasciturum ex Monacho & Monacha, quemadmodum isti jactitant, quot Anti-Christorum millia jam olim habet mundus? In quibus verbis non modò refutantur ea, quæ antea calamo Erasmi recitata proferebantur, sed insimul alia nefaria de nuptiis Lutheri inimicorum præsumptio debite perstringitur. Cæterum quod ad ea mendacia, quæ circa mortem ac Sepulturam Lutheri recitari solent à Pontificiis, attinet, quoniam præcisè Genealogiæ ejus nihil derogant, hinc adversarios sufficiat relegasse ad B. D. Müllerum l. c. B. Keslerum l. c. quest. XI. & XII. inprimis verò Illustr. Seckendorffium in Comment. Lutheranismi Lib. III. sect. 36. Concludo itaque præsentem de Genealogiâ Lutheri Commentarium sequenti Eteostichò:

*Nona bis obscuro LVX Februa ConstItIt ortV:
In patrio Ut MorerIs, CLare LVthere, soLo.*

TANTUM.



m



fe
10-
10-
u-
mul
n-
u-
a-
il-
tr.
n-
nti

ULB Halle
004 965 817

3



V017





QK. 190.

QK. 190.
14

DISS

GE

L

Auxilia

in

AMPL

PR

Pub

M. JO

R

GEORG

Anno

RE

K. 190.

III, 7
IGA,



GIA

ratia,

RUM



IEL,

oh. Pr.

iar.



Kodak

LICENSED PRODUCT

KODAK Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2000

Inches
Centimetres

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black